

# **Urbano Navarrete**

---

**De iure quo regatur oportet  
matrimonium acatholicorum  
baptizatorum post futurum codicem  
promulgatum**

---

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 21/3-4, 97-104

---

1978

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

URBANO NAVARRETE, S. I.

**DE IURE QUO REGATUR OPORTET MATRIMONIUM  
ACATHOLICORUM BAPTIZATORUM POST FUTURUM  
CODICEM PROMULGATUM \***

In Schematibus futuri Codicis a Pontificia Commissione paratis, nondum per ventum est ad principia clara et unitaria quoad positionem iuridicam acatholicorum baptizatorum. Ex una enim parte in schematibus tum *Legis Fundamentalis* (can. 7 § 2), tum libri I de *Normis Generalibus* (can. 12) statuitur principium generale iuxta quod acatholici baptizati non tenentur legibus mere ecclesiasticis nisi expresse declaratur; ex alia vero parte in schemate de Matrimonio non solum praesupponitur non adesse hoc principium generale quod totum Codicem afficiat, verum etiam nec in ipso campo iuris matrimonialis statuitur tale principium generale, cum exemptio statuatur tantummodo quoad impedimenta: „Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formaliter ab ea defecerunt” (can. 263).

In can. 7 § 2 *Legis Fundamentalis* et in can. 12 libri de *Normis Generalibus* exemptio a legibus mere ecclesiasticis respicit tantum illos qui baptizati sunt extra Ecclesiam catholicam nec in eam sunt recepti. Non afficit eos qui ab Ecclesia defecerunt. Cum vero agitur de impedimentis, exemptio comprehendit. Cum vero agitur de impedimentis, exemptio comprehendit etiam eos qui actu formaliter ab Ecclesia defecerunt. Eadem formula adhibetur cum agitur de describendo impedimento disparitatis cultus: „Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta nec actu formaliter ab ea defecerit et altera non baptizata, initum sine praevia competentis auctoritatis dispensatione, est invalidum” (can. 285 § 1). Cum agitur vero de determinando subiecto formae canonicae, formula exemptionis est multo magis ampla: „Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est nec actu formaliter aut notorie ab ea defecerit, salvis praescriptis § 2 (can. 319 § 1).

Iam ex hoc patet in campo iuris matrimonialis peculiares adesse difficultates, ad quas fortasse non satis attenderunt coetus laboris qui schemata *Legis Fundamentalis* et de *Normis Generalibus* paraverunt. In his paginis prius quaestionem generalem tangam; dein applicationem

\* Artykuł przeznaczony dla uczczenia 70 rocznicy urodzin Księcia Profesora Doktora hab. Ignacego Subery.

faciam ad ius matrimoniale. Ne autem ansa detur confusionibus nomine acatholicorum intelligo illos qui extra Ecclesiam catholicam sunt baptizati nec in eandem sunt recepti. De iis enim tantummodo agit principium generale exemptionis *Legis Fundamentalis* et can. 12 de *Normis Generalibus*. Nostra prae primis interest videre consecaria huius principii generalis exemptionis. Disciplina particularis quae in aliquibus casibus fortasse oportet statuatur pro sic dictis „apostatis”, non tangit problema generale, quod hic intendo examinare.

Imprimis notandum est ex modo agendi in coetibus laboris patere omnes praesupponere quaestio nem spectare ad prudentiam legislativam. Ad doctrinam enim quod attinet nullum dubium movetur. Praesupponitur ut quid prorsus certum et pacificum etiam illos baptizatos qui auctoritatem Ecclesiae catholicae de facto non agnoscunt, subiici iuri dice eiusdem Ecclesiae potestati. Nec, data constitutione hierarchica Ecclesiae Christi, hoc principium in dubium verti potest. Baptismate enim incorporatur quis in Ecclesiam Christi (LG 11) ac constituitur persona in eadem Ecclesia (can. 87). Ecclesia autem Christi est unica, „quam in symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam profitemur” (LG 8). Haec vero unica Ecclesia Christi „subsistit in Ecclesia catholica, a Succesore Petri et Episcopis in eius communione gubernanda, licet extra eius compaginem elementa plura sanctificationis et veritatis inveniantur, quae ut dona Ecclesiae Christi propria ad unitatem catholicam impellunt” (ibid.).

Haec doctrina in tuto posita, exurgit quaestio prudentiae legislativae: utrum oporteat principium generale statuere quo conceptis verbis edicatur acatholicos non teneri legibus mere ecclesiasticis, id est, legibus a competente auctoritate Ecclesiae catholica latis, nisi id expresse statuatur. Ut puto, de opportunitate immo necessitate tale principium statuendi nemo hodie dubitare potest. Quaestio potius, meo iudicio, ponenda est utrum sufficiat tale principium generale statuere, quin quidquam amplius determinetur de iure quo acatholici regantur oportet. *Lex Fundamentalis* et *Normae Generales* statuant solummodo principium exemptionis. Sed nihil dicunt de iure quo regentur in futurum catholici. Nonne creabitur lacuna legis in multis sectoribus in quibus necessaria est lex positiva humana?

Notum est, iam ante Codicem promulgatum ut ius responderet realitati vitae religiosae baptizatorum, plures auctores distinctionem induxerunt quae et post Codicem promulgatum ab aliquibus retinetur — iuxta quam acatholici non tenentur legibus ecclesiasticis quae directe ad sanctificationem animarum pertinent, uti sunt leges de abstinentia et iejunio, de festorum celebratione, de sacramentorum receptione; tenentur vero legibus quae potius ad bonum et ordinem publicum tuendum ordinantur, uti sunt leges irritantes et inhabilitantes de matrimonio. Sic Cavagnis, De Angelis, Bouquillon, Maroto, Bucceroni, Marc-Gestermann, Loiano,

Iorio<sup>1</sup>. Hanc distinctionem sustinent, uti scribit Rodrigo, „non ex ullo iuris textu, quos potius haec sententia patitur adversos, sed ex praesumpta rationabili benigna legislatoris voluntate non urgendi sine necessitate aut gravi communi utilitate leges quas pro hisce (acatholicis) praevident imutiles, utpote non observandas”<sup>2</sup>. Tamen communior sententia sive ante sive post Codicem promulgatum tenet catholicos baptizatos teneri omnibus indistincte legibus ecclesiasticis, nisi ab aliqua expresse eximantur. Haec sententia nititur in eo quod nulla lex habetur quae statuat exemptionem, dum, e contra, in iure Codicis ex canonibus praesertim 12 et 87 indubie erui videtur principium generabile subiectonis<sup>3</sup>.

Negari tamen non potest parum congruum esse ut legislator statuat ut omnes leges latae pro tota Ecclesia (vel pro Ecclesia latina aut orientali) afficiant etiam acatholicos, cum plurimae ex eis habeant applicationem apud catholicos, et quidem — sive quia structurae communitatuum ecclesialium acatholiarum sunt prorsus diversae ac structurae Ecclesiae catholicae pro qua directe et immediate latae sunt, uti leges de clericis in genere et in specie (cann. 108—486), *de Religiosis* (cann. 487—681), *de beneficiis ecclesiasticis* (cann. 1409—1494), *de processibus* (cann. 1552—2194); — sive quia agunt de materia quam fides acatholicon non recipit, uti *sacramenta confirmationis* (cann. 780—800), *Eucharistiae* (cann. 801—869), *poenitentiae* (cann. 870—936), *unctionis infirmorum* (cann. 937—947). Magisterium (cann. 1322—1408), cultum divinum prout in Ecclesia catholica celebratur (cann. 1255—1321); — sive denique quia ipsi acatholici leges ignorabunt nec observabunt, v. gr. leges de temporibus sacris (cann. 1243—1254).

Ex exemptione acatholicorum ab his omnibus legibus et ab aliis huiusmodi nulla incommoda praevidentur neque in ordine practico neque in ordine doctrinali. E contra, inducta hac exemptione, aufertur e medio incongruentia illa, quae hodie intercedit ius inter et realitatem vitae, quaeque non potest non nocere sive catholicis sive acatholicis saltem ob contemptum legis cui occasionem praebet.

At difficultas exsurgit eademque gravis relate ad illas res quae locum habent eodem modo catholicos ac apud acatholicos quaeque sunt exclusivae competentiae Ecclesiae et ex ipsa earum indole exigunt regulationem per leges humanas uti est matrimonium.

Si Codex nihil aliud facit quam principium exemptionis statuere, exurgit quaestio: quo iure regentur illae res quae sunt exclusivae competentiae Ecclesiae, uti est matrimonium? Iure tantum divino? At ius divinum non sufficit, quia huiusmodi res indigent disciplina humana quae ius divinum determinet. Iure civili? At ex hypothesi agitur de rebus in quibus auctoritas civilis non habet competentiam. Iure pro-

<sup>1</sup> L. Rodrigo, *Praelectiones theologicoo-morales comillenses*, t. II *Tractatus de Legibus*, Santander 1944, p. 118.

<sup>2</sup> L. Rodrigo, op. cit., p. 119.

<sup>3</sup> Cfr. Ibid.

prio respectivarum communitatum ecclesialium? At huiusmodi communites sunt incapaces ius canonicum constituendi. Quid ergo?

Hodie praedicta difficultas limitatur ad ius Ecclesiae ritus latini. Pro Ecclesiis enim orientalibus res aliter se habent. Nam etsi primis annis postquam Pius XII successivas partes iuris orientalis promulgavit, vigeret persuasio apud Auctores illas leges afficere etiam acatholicos orientales<sup>4</sup>, indubium est hodie acatholicos orientales non subiici legibus Ecclesiae catholicae, sed regi legibus propriis<sup>5</sup>. Quod et declaratum est in decreto *Unitatis redintegratio* Concilii Vaticani II: „Cum autem unitati Ecclesiae minime obstet, immo decorum eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consequetudinumque diversitas, ut supra memoratur, Sacra Synodus ad omne dubium tollendum declarat Ecclesias Orientis, memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi, ut pote indoli suorum fidelium magis congruas atque animarum consulendo aptiores”<sup>6</sup>.

Natandum est decretum *Unitatis redintegratio* his verbis statuere positive Ecclesias Orientis habere facultatem se secundum proprias disciplinas regendi, quo omne dubium aufertur, ut expresse dicitur, circa legitimitatem illarum disciplinarum, quocumque modo haec legitimitas explicetur.

Decretum tamen quod expresse declarat hoc principium pro Ecclesiis Orientis, tacet prorsus de hac re cum de communitatibus ecclesialibus occidentalibus sermonem facit in nn. 19—23, quo insinuari videtur peculiarem adesse difficultatem in Ecclesiis Occidentis hac super re. Ratio vero praecipua huius peculiaris difficultatis non videtur esse alia quam defectus successionis apostolicae in multis ex his Ecclesiis Occidentis, qua deficiente deficit et subiectum potestatis regiminis proprie ecclesiastici. Ex doctrina enim Vaticani II indubie constat huiusmodi subiectum ex institutione divina esse illos baptizatos qui et consecrationem episcopalem et missionem canonicae receperunt<sup>7</sup>. In Ecclesia excluditur democracia proprie dicta seu illa structura iuxta quam subiectum potestatis est populus, qui illam demandat civibus legitime designatis ad regendum. Hoc posito, patet communites ecclesiales in quibus non habetur successio apostolica non posse sibi dare leges quae vim habeant ex auctoritate proprietorum rectorum promanantem. Quod confirmari aliquo modo potest ex *Nota Bene*, quam Commissio addidit *Notae Explicativae Praeviae* ad Const. *Lumen Gentium*: „...Commissio autem censuit non intrandum esse in quaestiones de liceitate et validitate, quae relinquuntur disceptationi theologorum, in specie quod atti-

<sup>4</sup> Cfr. C. Pujo, *Orientalis ab Ecclesia catholica seiuncti tenentur ne novo iure canonico a Pio XII promulgato?*, in: *Orientalia Chrisiana Periodica*, 32 (1966) 78—110.

<sup>5</sup> Cfr. D. Staffa, *De validitate matrimonii inter partem orthodoxam et partem protestantem baptizatam*, in: *Periodica*, 62 (1973) 26.

<sup>6</sup> Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 16.

<sup>7</sup> Cfr. Const. *Lumen Gentium*, n. 21, et *Nota Explicativa Praeviae*.

net ad potestatem quae de facto apud Orientales seiunctos exercetur, et de cuius explicatione variae extant sententiae". Implicite praesupponi videtur apud seiunctos Occidentales non exerceri potestatem ecclesiasticam.

Itaque normae quae regunt materiam religiosam in communitatibus Occidentis cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentibus vel considerandae sunt uti normae quae vim obtinent ex societate politica seu quatenus christiani sunt cives qui ordini politico sese submitunt in re religiosa eodem modo ac cives ad aliae religiones pertinentes, vel affirmandum est illas normas vim obtinere ex quadam canonizazione implicita scilicet quatenus Legislator Supremus Ecclesiae Christi illas normas a subiecto incapaci potestatis ecclesiasticae materialiter constitutas approbat eisque vim canonicam concedit.

Haec differentia inter Ecclesias Orientis et Occidentis quam maxime est efferenda illamque Concilium factis effert cum restringit principium supra memoratum de facultate sibi dandi disciplinam propriam, ad Ecclesias Orientales, dum alto silentio praeterit communitates Occidentis. Ideo pro Ecclesiis Orientis, vi principii memorati, providetur ne vacuum legis creetur circa materias, uti est matrimonium, quae natura sua exigunt leges validas et efficaces quae illas materias disciplinent, et ex alia parte, posita exclusiva competentia Ecclesiae, validitatem et efficaciam habere non possunt nisi ex auctoritate Ecclesiae Christi.

Notetur hanc difficultatem esse omnino propriam religionis christiana, cum Ecclesia Christi habeat, ex ipsa ordinatione divina, ordinatem iuridicam primariam, non derivatam, et prorsus autonomam a qualibet societate politica in materiis suae competentiae. Ceterae religiones, etsi habeant ordinatem aliquam iuridicam propriam, hanc habent derivatam a communitate politica et efformat partem complexus legum societatis politicae, ideoque leges religiosae seu autoritate religiosa emanatae, possunt habere efficaciam etiam invalidantem, sed illam obtinent ab ordinatione iuridica societatis politicae, seu ab Statu. Haec autem derivatio a societate politica impossibile est pro religione christiana in materiis exclusivae competentiae Ecclesiae, uti est matrimonium, cum societas politica sit prorsus incompetens in illas materias pro civibus baptizatis.

Secus ac in iure Ecclesiarum Orientalium, in schematibus Codicis latini, quae parantur, proponitur, uti supra vidimus, tantum principium negativum: acatholici non tenentur legibus mere ecclesiasticis, nisi expresse declaretur. Vi principiorum doctrinalium, nisi legislator Ecclesiae Christi aliquo modo concedat communitatibus occidentalibus cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentibus facultatem ut propria disciplina regantur, creabitur magnum vacuum legis. Normae enim quae de facto in illis communitatibus vigent in rebus religiosis, — nisi legislator Ecclesiae Christi aliquam vim canonicam eis concedat — aliam vim iuridicam habere non poterunt quam quae ex ordinatione

iuridica civili provenit, scilicet quatenus christiani suis iuribus civilibus utuntur in re religiosa, haud secus ac cives ad alias religiones non christianas pertinentes.

Haec solutio praesertim in campo iuris matrimonialis crearet difficultates maxima gravitatis. Ex una enim parte matrimonium ob eius momentum personale et communitarium indiget disciplinari efficaciter legibus humanis. Et reapse in omnibus ordinamentis iuridicis disciplinatur non solum legibus praeceptivis et prohibitivis, addita forse poena, verum etiam legibus sic dictis irritantibus et inhabilitantibus, quocumque modo huiusmodi leges concipientur. Iam vero auctoritas societatis civilis est incompetens ad huiusmodi leges ferendas in matrimonium baptizatorum. Si Ecclesia nullo modo disciplinat matrimonium acatholicorum baptizatorum, hoc matrimonium manebit disciplinatum tantummodo normis iuris naturalis.

In iure Codicis vigentis, uti notum est, matrimonium acatholicorum occidentalium regitur iure Ecclesiae latinae, praesertim quod attinet leges irritantes et inhabilitantes. Codex I. C. normam peculiarem pro acatholicis statuit tantummodo quoad impedimentum disparitatis cultus (can. 1070 § 1) et quoad formam canonica (can. 1099 § 2). In ceteris tenentur eodem modo ac catholici, quoad leges quae validitatem matrimonii afficiunt, uti sunt impedimenta dirimentia, normae qualitates consensus matrimonialis determinantes, necessitas praesentiae contrahentium sive per se sive per procuratorem (can. 1088), lex de renovando consensu ad convalidandum matrimonium (cann. 1133 ss.), ut illa tantum memoremus quae maioris sunt momenti in structura iuridica instituti matrimonialis. Hoc posito habentur criteria certa ad dijudicandum de validitate cuiuslibet matrimonii acatholicorum, quod attinet ad leges irritantes et inhabilitantes, iuris humani. Sed si acatholici eximuntur simpliciter a legibus ecclesiasticis et nihil positive statuitur de iure quo haec matrimonia regentur, attendendum erit tantummodo ad ius divinum ad dijudicandum et validitate matrimonii, quod mirum est nec opportunum videntur.

Hodie hoc accedit in celebratione matrimonii acatholicorum. Cum enim acatholici a forma canonica eximantur nec alia forma iuridica eis imponatur, patet eos valide inire posse matrimonium nulla servata forma iure humano praecripta. Sufficit ut modo naturaliter valido concensum contrahentes manifestent. Codex providet tantum de statuenda exemptione a forma canonica. Non curat de obligatione imponenda alicuius formae publicae celebrationis. Quo fit ut reapse possibile sit ut matrimonia acatholicorum valide celebrari possint clandestine, quod quidem minus cum menti et adiunctis sociologicis hodiernis congruere videtur. Ad vitandum hoc incommodum, in M.P. *Matrimonia mixta* statuitur ut quoties Ordinarii dispensent a forma canonica, matrimonium celebrari debeat servata „aliqua forma publica celebrationis”, quae quidem praescriptio afficit validitatem matrimonii<sup>8</sup>. Haec norma,

<sup>8</sup> Paulus V.P., *Matrimonia mixta*, 31 mar. 1970: A.A.S., 62 (1970) 261.

meo iudicio, extendatur oportet in futuro Codice etiam ad matrimonia acatholicorum cum inter se contrahant, ad vitandum ne matrimonia clandestina valide celebrari possint inter christianos.

Ex alia parte, matrimonium acatholicorum regitur de facto normis alicuius ordinamenti iuridici, nempe illius ordinamenti ad quod quisque pertinet. Hoc posito minus congruere videtur ut leges quae de facto regunt matrimonium quaeque iuxta mentem horum acatholicorum sunt illae quibus ipsi subbiciuntur, nullam efficaciam iuridicam habent, utpote provenientes ab auctoritate incompetente in matrimonium christianorum. Ecclesia autem quae est unica, competens in haec matrimonia potest si vult vim canoniam illis legibus tribuere illas canonizando, ita ut operentur eodem modo pro christianis ac pro non christianis. Pro christianis efficacia iuridica proveniret ex Ecclesia Christi, quae leges civiles canonizaret, uti nunc facit in impedimento cognacionis legalis (cann. 1059, 1080). Pro non christianis, uti patet, efficacia iuridica provenit ex ipsa auctoritate civili, utpote competente in matrimonia non baptizatorum.

Attentis igitur principiis doctrinalibus quae hanc materiam regunt necnon adjunctis concretis quibus vivit populus Dei, videtur omnino necessarium ut positive aliquo modo provideatur circa ius quo matrimonium acatholicorum in posterum regatur. Solutio posset esse haec:

Statuatur in libro de *Normis Generalibus*, ad can. 12, principium generale simile illi quod statuitur pro ecclesiis orientalibus, scilicet communites ecclesiales cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentes „facultatem habere se secundum proprias disciplinas regendi”<sup>9</sup>.

Explicatio theoretica esset diversa pro ecclesiis orientalibus ac pro communitatibus occidentalibus circa originem efficaciae iuridicæ harum proprietatum disciplinarum, ut ex dictis supra eruitur; at hac via disciplina communitatium ecclesialium occidentalium esset canonica, et legitima. Secus normae quae de facto in illis communitatibus habentur non videntur aliam vim iuridicam posse habere quam quae ex ordinatione iuridica civili provenit, scilicet quatenus christiani suis iuribus civilibus utuntur in re religiosa, ut ius ad associationem, ad cultum, etc, haud secus ac cives ad alias religiones non christianas pertinentes.

Si proponeretur hoc principium generale in libro de *Normis Generalibus*, non esset necessiarum statuere in titulo de Matrimonio quidquam aliud. Illud principium generale utpote transcendens totum Codicem afficeret etiam titulum de Martimonio. Ordinatio ergo iurdica propria cuiusque communitatis ecclesialis cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentis — quae ut plurimum coincidit cum ordinatione iuridica civili respectivae regionis — regeret matrimonium acatholicorum baptizatorum ad ipsam pertinentium. Disciplina autem illa erit ecclesiastica quia vim et efficaciam iuridicam obtinebit ex auctoritate Ecclesiae, quae semel pro semper vi huius concessionis generalis effi-

---

<sup>9</sup> Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 16.

cacia iuridica ditat disciplinam quam unaquaeque communitas ecclesiialis sibi materialiter constitutat.

Si autem in *Normis Generalibus* tale principium positivum non statutatur, videtur omnino necessarium ut id in titulo de Matrimonio stabiliiatur. Solutio schematis huc usque elaborati, scilicet acatholici eximuntur tantummodo ab impedimentis iuris ecclesiasticis (can. 263) et a forma canonica (can. 319 § 1), non satisficit. Habet enim duas graves difficultates: 1) Quoad impedimenta et quoad formam celebrationis, matrimonia acatholicorum essent subiecta tantummodo normis iuris naturalis; 2) quoad alia omnia pergerent regi normis Codicis I. C. Iam vero neutrum videtur esse oportunum nec est conforme spiritui oecumenismi. Est solutio media, plena haesitationibus, quae non aggreditur quaestione in tota sua amplitudine.

Ideo videtur magis convenire ut in canonibus preeliminaribus de Matrimonio, — fortasse uti § 2 can. 246 (C.I.C. 1016), ubi agitur de exclusiva competentia Ecclesiae in Matrimonium omnium baptizatorum- expresse edicatur, formula apta, matrimonium acatholicorum regi disciplina propria communitatis ecclesiialis ad quam quis pertinet. Haec solutio videtur esse quae minores difficultates habet inter possibles, in hypothesi quam nunc contemplamur, scilicet quod in libro de *Normis Generalibus* nihil positive statuatur de iure quo regentur communitates ecclesiiales occidentales cum Ecclesia catholica plenam communionem non habentes.

Solutio haec non respicit eos qui ab Ecclesia catholica defecerunt. Videtur enim has non posse comprehendendi eadem norma generali exemptionis ac eos qui extra Ecclesiam catholicam sunt baptizati nec in eandem umquam sunt recepti. Pro sic dictis „apostatis” videtur sufficierter provideri si a forma canonica eximantur. Quoad cetera videtur magis conveniens si eorum matrimonia pergent regi normis Codicis I. C., haud secus ac hodie evenit cum matrimoniis acatholicorum. Haec solutio videtur esse quae minores habet difficultates, etsi incommodis non caret. Quod attinet vero ad formam canoniam, videtur criterium exemptionis debere sumi tantummodo ex actu formalii defectionis ab Ecclesia catholica. Criterium indicatum adverbio „notorie” in scheme (can. 319 § 1) praebet ansam multis dubiis in lege quae requirit maximam certitudinem possibilem, quia intendit determinare quinam teneantur lege irritante formae canonicae. Ideo incisum *a u t notorie* eliminandum videtur e textu proposito.

Schemata sunt adhuc in elaboratione. Deest labor coordinationis inter diversos coetus qui exaramdis schematibus dant operam. Cum hic labor perficiatur, quaestiones difficiliores, uti est quam his paginis examinavimus, solutionem congruentem procul dubio invenient. Quoad attinet ad problema de iure quo regatur oportet matrimonium acatholicorum in futuro Codice, considerationes factae iuvare possunt, ut spero, saltem ad illustrandum quam complexa sit quaestio et quam difficile sit solutionem adaequatam invenire.